



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De clerico, qui per minutionem sanguinis scientiam litterarum perdidit, & rursum accepit eandem anno reuoluto, sanguinem minuendo, cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

posuit, à quo iussus loqui verbum Dei, vsque hodie impræmeditatè, tam excellentè, & tam efficaciter illud exponit, vt omnes auditores suos in stuporem conuertat: aliis siquidem temporibus nullus est litteraturæ. **APOLLONIVS:** Miraculum Salomonis, qui in somnis scientiam accepit in isto resultat. **CAESARIVS:** **3. Reg. 3.** Deus enim scientiarum dominus est: aliis scientiam, vt dictum est, miraculosè conferendo; aliis nõ minori miraculo habitum subtrahendo. **1. Reg. 2.**

CAPVT IIII.

ABbas de Lapide sancti Michaelis, tempore capituli generalis, per Hemmenrode trāsies, casum mirabilem nimis ibidè recitauit. Fuit apud nos, inquit, clericus bonæ admodum literaturæ: hic cùm die quadam in vena sanguinem minueret, sic omnem scientiam scripturarum perdidit, vt eam per sanguinem effudisse videretur. Litteram ab illa hora non cognouit, latini sermonis, nec vnum quidem verbum intelligere, vel proferre potuit; & vt noueritis priuationem sensus non fuisse in causa, sed diuinam potentiam, omnium rerum prius habitam plenè retinuit scientiam. Qui cùm tam mirabilem litteraturæ suæ iacturam cum dolore multis exposuisset, quidam ei suafit, dicens: Anno reuoluto, eodem die, & eadem hora, iterum minuas, fortè subtrahere recipies. Quod cùm fecisset, scientiam præstinam recepit. **Psa. 117.** A Domino factum est istud, sicut & præcedètia, & est mirabile in oculis nostris. Aliis etiã per alios Dominus tribuit gratiam sanitarum.

CAPVT V.

IN Eberbaco Conuersus quidam extitit, homo simplex & bonus, ætatis decrepitæ: huic Dominus tantam contulerat gratiam, vt tactu manus eius, diuersæ infirmitates fugarentur: quod vbi secularibus compertum est, ex vtroque sexu, tam diuites quã pauperes, gratia sanitarum ad monasterium confluentes, virtutem benedictionis eius senserunt. Ex quorũ concursu videns Abbas fratrum quietem turbari, & donum in expensis non modicum grauari, eidem Conuerso,